



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola C. Ioannis Papae VIII. Ad Tevtrannvm Tarantasiensem
Archiepiscopvm. Monet vt sibi cum suffraganeis suis obuiam veniat, &
Adalbertum Synodo adesse iubeat, vt rationem reddit eorum de quibus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA C.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD TEVTRANNVM TARANTASIENSEM
ARCHIEPISCOPVM.

Monet vt sibi cum suffraganeis suis obuiam veniat , &
 Adalbertum Synodo adesse iubeat , vt rationem
 reddat eorum de quibus Bernarius
 episcopus questus fuerat.

Venerabili archiepiscopo Teutranno.

MIRAMVR fraternitatem tuam , cur nostrum in has
 partes audiens aduentum , nos ob reuerentiam beati
 Petri apostolorum principis , & nostram , more ceterorum
 venerabilium archiepiscoporum minime consolari & oc-
 currere studiisti. Qua admiratione iam diu suspensi , mo-
 nemos fraternitatem tuam , vt nobis citius occurrere cum
 tuis suffraganeis , quos tecum adducere præsentialiter po-
 teris , non differas , vt simul de vtilitate ecclesiae tuae tracta-
 re valeamus. Innotescimus denique , quia venerabilis fra-
 ter & coepiscopus noster Bernarius , nostram nuper adiens
 præsentiam , reclamauit se super fratre Adalberto suffra-
 ganeo tuo , de quo iam Romæ proclamauerat , & libellum
 suæ reclamationis ostenderat. Vnde tibi , & Viennensi ar-
 chiepiscopo , epistolas direximus , vt amborum querimo-
 nias ventilantes , quæ Canonum sunt instituta diiudicare-
 tis. Insuper Arelatensem archiepiscopum , Valentinem sem
 quoque & Viuariensem episcopos , huic assertioni testes
 adesse iussimus. Sed quia variis præpedientibus causis ha-
 ctenus eorum indiscussa manet causatio , iam præcipimus
 monendi auctoritate , vt vbi cumque a nobis fuerit Syno-
 dus indicta , canonice eum inibi adesse iubeas , paratum in
 omnibus ad rationem reddendam. Quod si defuerit , vide
 ne eius in te retorqueatur sententia : ipse vero sciat , a se de
 absentia sua lucrum non percipiendum. Data vt supra.